VALERIUS MAXIMUS

Bologna, 14. Jh. Seite 41r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35037
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar

nichil. Sed ubi domestica quies sedi-
tionum agitata fluctibus est, prisce
consuetudinis auctoritas convellitur,
plusque valet quod violentia cogit quam
quod suadet et precipit verecundia. Ita
te Sempronia q. et g. graccorum soror,
uxor Scipionis emiliani, non absurde
quasi mirabilem inter viros operibus inseram. ma-
ligna relatione comprehendam. Sed que
a tribuno plebis producta ad populum
in maxima confusione nichil a tuorum
amplitudine degenerasti. honorata
memoria prosequitur. Coacta es eo loco
consistere ubi principum civitatis perturba-
ri frons solebat. Instabat et torvo
vultu minas profundens amplis-
sima potestas. Cum clamore imperite
multitudinis obstreperet totum forum.
acerrimo studio nitebatur ut equitio
quem semproniae gentis falsum ius querebatur
tanquam filio tiberii fratris tui
osculum dares. Tu tamen illum nescio
quibus tenebris protractum: una portentum
execrabili audacia ad usurpandam
alienam propinquitatem tendentem repuli-
sti. Non indignabuntur lumina
nostre urbis, si inter eorum eximium ful-
gorem centurionum quoque virtus spectan-
da se obtulerit. Nam ut humilitas
amplitudine veneranda est, ita no-
bilitate fovenda magis quam sperne-
nda bone indolis novitas est. An

abigi debet potius ab horum exemplorum
contextu: Qui, pro cesaris partibus exerci-
tans, Scipionis presidio interceptus,
cum uno modo salus ab eo daretur, si se fu-
turum generi Pompei militem af-
firmasset, ita respondere non dubitavit.
Tibi quidem Scipio gratias ago, sed michi uti
ista condicione vite non est opus. Sine ulli-
s imaginibus nobilem animum. Item consta-
ntie propositum fecit Meuius centurio divi
Augusti, cum antoniano bello sepe numero
excellentes pugnas edidisset. improvisis
hostium insidiis circumventus et ad anto-
nium alexandriam productus, interrogatusque
quidnam de eo statui deberet, iugulari
me inquit iube, quia non salutis beneficio
neque mortis supplicio adduci possum
ut aut cesaris miles esse desinam aut
tuus esse incipiam. Ceterum quo constantius vitam
contempsit, eo facilius impetravit. Antoni-
us enim virtuti eius incolumitatem tribuit. Ex-
terna. Complura huius note romana
exempla supersunt, sed satietas modum statuit.
Itaque stilum meum ad externa iam delabi
permittam. Quorum principatum teneat Bla-
sius, cuius constantia nichil pertinacius. Sala-
piam enim patriam suam presidio puni-
co occupatam romanis cupiens restituere,
Dasium acerrimo studio secum in administratione
rei publice dissidentem et alioquin toto
animo hanibalis amicitie vacantem, sine
quo propositum consilium peragi non poterat.